

~~UT AUTEM~~ plenior cognitio huius ordinis habetur, non ab-
 colorum, qui nobis apparent in astris) proportionem habet decuplam
 Unde iuxta demonstrationes Geometricas, circulus visualis Solis ad
 circulum visivalem Veneris proportionem habebit centuplam. Nam,
 ut demonstrat Eucli. lib. 2. propos. 2. circuli eam inter se proportio-
 nem observant, quam diametrorum quadrata: Sed ut ex 20. propos. lib. 6.
 Eucli. colligitur, proportio quadratorum, quæ describuntur ex
 diametris circulorum, est duplicata illius proportionis, quam habent
 diametri. Cum igitur diametri visuales circulorum Solis, ac Veneris
 habeant proportionē decuplam; habebunt diametrorum quadrata per
 propositionē 20. lib. 6. Eucl. & ideo circuli visuales per 2. prop. 1. 2. lib.
 Euclid. proportionem centuplam; Hæc enim illius duplicata est, ut in
 istis constat numeris 1, 10, 100. qui habent decuplam proportione.
 Ut autem facile sciatur, quænam proportio dicatur alterius proportio-
 nis duplicata, multiplicandus erit denominator proportionis in se ipsū,
 produceturg; denominator proportionis duplicatæ; Ut quoniam decup-
 le proportionis denominator est 10. si 10. in 10. multiplicentur,
 procreabuntur 100. nempe denominator duplicatæ proportionis ipsius
 decuple. Eadē ratione duplicatæ proportio proportionis triplæ, erit no-
 cupla, &c. Quare perspicuū est, Venerem nullo modo posse Solem ob-
 tegere, etiamsi interponatur inter nostrum aspectum, & Solem; quoni-
 am occultabit solum centesimam partem ipsius, quæ nullius est momen-
 ti: Atque proinde a fortiori neq; Mercurius id efficere poterit, cum eius
 diameter visualis sit longe minor diametro visivali Veneris. Quod si quis
 dubitet, Cur igitur Luna e visu nobis Solem quandoq; eripiat, cum ta-
 men mirum in modum minor sit Luna ipso Sole; Respondendum est, id
 evenire ob nimiam viciniam Lunæ ad terrā, & maximam illius distan-
 tiam a Sole. Hinc. n. efficitur, ut diameter visualis Lunæ appareat nobis
 maior diametro visivali Solis, & propterea tota Luna maior conspiciat-
 tur, quam Sol; Unde mirū non est, quod Luna Solem possit contegere
 aliquando, ita ut cerni non queat.

EX HIS omnibus colligitur & numerus, & ordo omnium corpo-
 rum totius uniuersi. Erunt enim in toto uniuerso quindecim corpora
 spherica totum mundum adintegrania, eo ordine posita, ut partim in
 tractatu de elementis, partim hic in tractatione de corporibus celestibus
 ostensum fuit; atque satis dilucide apposita figura indicare vide-
 tur, in qua totius uniuersi ordinem, situmque conspicias, una cum figu-